

tempore cum Christo mensae accumbentes, sed ad omnes omnino Christianos spectasse. Negat Apostolus S. Coenam in Corinthiaca ecclesia celebrari solitam ritum esse Iudaicum ex indulgentia aliquantisper tolerandum, sed commonefacturus eos, ut recte praeparati, poenitentes et credentes, cum modestia accedant, id in primis vrget, institutum a Domino acceptum, commendatumque, et Corinthiis traditum esse 1. Cor. XI, 23, ut omnes eo tanquam medio gratiae diuinitus constituto digne vterentur.

XVIII.

Inde satis apparet, valde periculofum esse diuina mysteria ex Iudaicis cerimoniis deriuare velle. Huiusmodi enim opinio, animo intimius infixata, homines vel ad *Zwinglianismum*, vel ad *fanaticismum* abducere, ac hypocritas nostros in huius sacramenti contemptu valde confirmare potest. Habui meae dioeceseos pastorem, qui in scholis, tenera adhuc aetate, praeceptorum imprudentia hanc opinionem imbibit, et adultior factus, ac sacro muneri tandem admotus, Reformatis palam adplaudit, certus confirmatusque, dum rectiora edoceretur, in sacra eucharistia verum Christi corpus et sanguinem in, cum et sub pane non exhiberi, et ore sumi, sed tantum secundum sensum veteris formulae paschalis significari, et sacris conuiuiis in memoriam reuocari, ac fide applicari.

XX.

Nos fabulae vanitatem omnium oculis exposituri, eamque penitus euerfuri, ostendemus, Christum, in vltima illa coena, qua sacramentum eucharistiae instituit, ne agnum quidem paschalem cum suis discipulis comedisse, adeoque ad ceremoniam et formulam paschalem alludere, vel eam vsurpare non potuisse, sed condidisse rem nouam, et huc dum prorsus inusitatam. Multis equidem sententia nostra videbitur noua, et huc dum inaudita, ac Scrip-
ptaris